GRATVLATIO,

Quam

Ante biennium, & quod excurrit,

VLADISLAO IV.

in Poloniæ Regem electo, in æternitatis æde dedicavit

JOHANNES BEHM S.S. Theol. D. & P. P. Aulæ Electoris Brandenburgici in Prussia Concionator, & Consistorij Sambiensis Assessor.

(1634)

(1637)

Dominus custodiat introitum & exitum tuum ex hoc nunc & usque in seculum!

EXaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen DEI Jacob. Mittat tibi auxilium de sanctuario & de Sion tueatur te. Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pinguefiat. Tribuat tibi secundùm cor tuum, & omne Consilium tuum confirmet. Impleat Dominus omnes petitiones tuas. Domine salvum fac Regem!

Hoc pium calidumque Regij Prophetæ votum, cum exordio ineuntis anni, meum facio, Rex Serenissime, Rex potentissime, Rex clementissime. Post fata Divi Sigismundi Tertij per quadraginta quinque annos Poloniæ quondam Regis pientissimi, sapientissimi, justissimi, beatissimæ recordationis, Rex ille Regum & Dominus Dominantium, qui transfert & stabilit regna TE cœlitus Poloniæ Regem

gem elegit: TE Regium filium, te primogenitum, in Hæredem & Successorem Regij Paterni solij & Regiminis potente manu locavit. Idem ille Regum Rex animos Illustrissimorum & Magnificentissimorum Amplissimi Poloniæ Regni Senatorum & Procerum eó clementissimè flexit, ut in proximo Conventu, sub cœlo, in tanto tamq; latè diffuso populosissimi Regni & incolarum & aliarum nationum concursu, mediante svavissimo cœlitùsque demisso animorum consensu, Tua Serenissima Celsitudo ad Regium illud culmen, de paternâ imò cælesti potius dexterâ traditum, summo cæli terræque applausu conscenderit, cum multiplicato illo, quod cælum usque pertingebat, voto: VIVAT REX VLADISLAVS. VIVAT REX VLADISLAVS, imò vivat in annos Nestoreos.

Domine DEVS exercituum esto cum LADISLAO Rege, uti fuisti cum DIVO SIGISMVNDO TERTIO, &

am-

amplifica Regium ejus ſolium, ſupra ſolium Divi Parentis ſui. Indue LADISLAVM Spiritu pietatis, ſapientiæ, intellectus, roboris, Juſtitiæ, ut ſine perſonarum reſpectu piė, ſapienter, feliciter, juſtė, potenter, tuum populum tam potentem, tam populoſum ad ſeram poſteritatem regere poſsit. Longitudine dierum reple eum & oſtende ei ſalutare tuum.

